

Alte Drucke

**C. IVLII || CAESARIS || COMMEN-||TARII. || Quæ in hac
habeantur editione, sequens || pagella docebit. ||**

Caesar, Gaius Iulius

Lvgdvni, 1534

C. IVLII CAESARIS COMMENTARIORVM DE BELLO CIVILI LIBER SECVNDVS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150541

tur. Cæsar ex eo tēpore dum ad flumē Varum ueniat, se frumentū daturū pollicetur. Addit etiā, ut quid quisq; eorū in bello amiserit, quæ sint penes milites suos, ijs qui amiserint restituatur: militibus, æqua facta æstimatione, pecuniā pro his rebus soluit. Quascūq; postea cōtrouersas inter se milites habuerāt sua spōte ad Cæsarē introduxerūt. Petreius, atq; Afranius, cum stipendiū ab legionibus penē seditione facta flagitaretur, cuius illi diē nondū uenisse dicerent Cæsar ut cognosceret, postulatū est. Eoq; utriq; quod statuit, cōtenti fuerūt. Parte circiter ter tia exercitus eo biduo dimissa, duas legiones suas antecedere, reliquas subsequi iussit, ut non longo inter se spatio castra facerent, eiq; negotio Q. Fufium Calenū legatum præfecit. Hoc eius præscripto ex Hispania ad Varum flumē est iter factū, atq; ibi reliqua pars exercitus dimissa est.

C. IVLII CAESARIS

COMMENTARIORVM

DE BELLO CIVILI

VILI LIBER

SECVNDVS.



VM HÆC In Hispania gerūtur, C. Trebonius legatus, qui ad oppugnationē Massiliæ relictus erat, duabus ex partibus aggerē, uineas, turresq; ad oppidum agere instituit: una erat proxima portui, naualibusq;, altera ad partem, qua est aditus ex Gallia, atque Hispania ad id mare, quod adigit ad bo-

t 2 flumē

C. Trebonius
Massiliam op-
pugnat.

Masilie situs.

Masilie enim ferè ex tribus oppidi partibus mari alluitur: reliqua quarta est, quæ aditum habet à terra, huius quoque spatij pars ea, quæ ad arcem pertinet, loci natura, et ualle altissima munita longam, et difficilem habet oppugnationem. Ad ea perficienda opera C. Trebonius magnam iumentorum, atque hominum multitudinem ex omni prouincia uocat: uimina, materiamq; comportari iubet. Quibus comparatis rebus, aggerem in altitudinem pedum octoginta extruit. Sed tanti erant antiquitus in oppido omnium rerum ad bellum apparatus, tantaq; multitudo tormentorum, ut eorum uim nullæ contextæ uiminibus uineæ sustinere possent. Asseres enim pedum duodecim cuspidibus præfixi, atque hi maximis balistis mûsi, per quatuor ordines cratium in terra defigebantur. Itaque pedalibus lignis coniunctis inter se porticus integebantur, atque hac agger inter manus proferebatur: antecedeat testudo pedum sexaginta, æquandi loci causa facta, itè ex fortissimis lignis, euoluta omnibus rebus, quibus ignis iactus, et lapides defendi possent. Sed magnitudo operum, altitudo muri, atque turrium, multitudo tormentorum, omnem administrationem turbabat. Crebræ tamen per Albicos eruptiones fiebant ex oppido, ignesq; aggeri, et turribus inferebantur: quæ facile nostri repellebant milites, magnisq; ultrò illatis detrimentis, eos, qui eruptionem fecerant in oppidum reijciebant. Interim L. Nasidius ab Cn. Pompeio cum classe nauium sedecim, in quibus pauca erant arata, L. Domitio, Masiliensibusq; subsidio missus, freto Siciliæ, imprudè, atque inopinante Curione prouehitur.

L. Nasidius.

appul

appulsiſq; Meſſanam nauibus, atque inde propter repen-
 tinum terrorem principum, ac Senatus fuga facta, ex na-
 ualibus eorum unam deducit. Hac adiuncta, ad reliquas
 naues curſum Maſſilian uerſus perficit, præmiſſaq; clam
 nauicula Domitium, Maſſilienſesq; de ſuo aduentu cer-
 tiores facit: eosq; magnopere hortatur, ut rursus cū Bru-
 ti claſſe, additis ſuis auxilijs, conſligant. Maſſilienſes poſt
 ſuperius incommodum ueteres ad eundem numerum ex
 naualibus productas naues reſecerant, ſummaq; industria
 armauerant: remigum, gubernatorumq; magna copia
 ſuppetebat, piſcatoriasq; adiecerant, atque contexerāt,
 ut eſſent ab icſtu telorum remiges tuti: has ſagittarijs,
 tormentisq; compleuerant. Tali modo inſtructa claſſe,
 omnium ſeniorum, matrumfamilie, uirginum precibus,
 & ſletu excitati, ut extremo tempore ciuitati ſubueni-
 rent, non minore animo, ac fiducia, quā ante dimica-
 uerant, naues conſcendunt. Comuni enim ſit uitio na-
 turæ, ut inuiſis, latitantibus, atque incognitis rebus ma-
 gis conſidamus, uehementiusq; exterreamur: ut tum
 accidit. Aduentus enim L. Naſidij ſumma ſpe, & uo-
 luntate ciuitatem compleuerat. Naſti idoneum uentum,
 ex portu exeunt, & Taurenta, quod eſt caſtellum Maſſi-
 ſilienſium, ad Naſidium perueniunt. Ibiq; naues expe-
 diunt, rursusq; ſe ad conſligendum animo confirmant,
 & conſilia communicant. Dextra pars Maſſilienſibus
 attribuitur, ſiniſtra Naſidio. Eodem Brutus conten-
 dit, aucto nauium numero. Nam ad eas, quæ factæ fuerāt
 Arelate per Cæſarem, captiue Maſſilienſium acceſſerāt
 ſex. Has ſuperioribus reſecerat diebus, atque omnibus
 t 3 rebus

Maſſilienſium
 claſſis reſecta.

Taurenta.

Bruti claſſis.

rebus instruxerat. Itaque suos cohortatus, quos integros
 superauissent, ut uictos contemnerent: plenus spei bonæ,
 atque animi aduersus eos proficiscitur. Facile erat ex ca-
 stris C. Trebonij, atque omnibus superioribus locis pro-
 spicere in urbem, ut omnis iuuentus, quæ in oppido re-
 manserat, omnesq; superioris ætatis cum liberis, atque
 uxoribus, publicisq; custodijs, aut ex muro ad cælum
 manus tenderent, aut templa deorum immortalium adi-
 rent, & ante simulachra proiecti uictoriam ab Dijs ex-
 poscerent. Neque erat quisquam omnium, qui non in
 eius dici casu suarum omnium fortunarum euentum con-
 sistere existimaret. Nam & honesti ex iuuentute, &
 cuiusque ætatis amplissimi nominatim euocati, atque ob-
 secrati, naues conscenderant, ut siquid aduersi accidisset,
 ne ad conandum quidem sibi quicquam reliqui fore
 uiderent: si superauissent, uel domesticis opibus, uel ex-
 ternis auxilijs de salute urbis confiderent. Commisso præ-
 lio, Massiliensibus res nulla ad uirtutem defuit, sed me-
 mores eorum præceptorum, quæ paulo ante ab suis ac-
 ceperant, hoc animo decertabant, ut nullum aliud tempus
 ad conandum habituri uiderentur, & quibus in pugna
 uitæ periculum accideret, non ita multo se reliquorum
 ciuium fatum antecedere existimarent, quibus urbe ca-
 pta, eadem esset belli fortuna patienda: diductisq; nostris
 paulatim nauibus, & artificio gubernatorum mobilitati
 nauium locus dabatur, & siquando nostri facultatem
 nacti ferreis iniectis manibus nauem religauerant, undiq-
 ue suis laborantibus succurrebant. Neque uero continua-
 ti Albicis comminus pugna deficiebant, neque mula-
 tum

Prælium naua-
 le inter Massi-
 liensēs et Brutū.

tum cedebant uirtute nostris: simul ex minoribus nauibus magna uis eminus missa telorum, multa nostris improviso imprudentibus, atque impeditis uulnera inferebant. Comspicataq; naues triremes duæ, nauem D. Bruti, quæ ex signo facile agnosci poterat, duabus ex partibus sese in eam incitauerant: sed tantum re prouisa Brutus celeritate nauis enisus est, ut paruo momento antecederet. Illæ adeo grauiter inter se icitæ conflauerunt, ut uehementissime utræque ex concursu laborarent: altera uero perfracto rostro tota collabefieret. Quare animaduersa, quæ proximæ ei loco ex Bruti classe naues erant, in eas impeditas impetum faciunt, celeriterq; ambas deprimunt. Sed Nasidianæ naues nulli usui fuerunt, celeriterq; pugna excesserunt. Non enim has, aut conspectus patriæ, aut propinquorum præcepta ad extremum uitæ periculum adire cogebant. Itaque ex eo numero nauium nulla desiderata est: ex Masiliensium classe quinque sunt depressæ, quatuor captæ, una cum Nasidianis profugit, quæ omnes citeriorem Hispaniam petiuerunt. At ex reliquis una præmissa Masiliam, huius nuntij perferendi gratia, cum iam appropinquaret urbi, omnis sese multitudo ad cognoscendum effudit. Hac re cognita tantus luctus excepit, ut urbs ab hostibus capta eodem uestigio uideretur. Masilienses tamen nihilo segnius ad defensionem Urbis reliqua apparatus coeperunt. Est animaduersum ab legionarijs, qui dexteram partem operis administrabant, ex crebris hostium eruptionibus, magno sibi esse præsidio posse, si pro castello, ac receptaculo turrim ex latere sub muro

Turris

t 4

fecit

fecissent, quam primo ad repentinos incurfus humilem, paruanq; fecerunt: huc se referebant: hinc si qua maior oppresserat uis, propugnabant, hinc ad repellendum, et prosequendum hostem procurrebant. Patebat hæc quoque uersus pedes xxx. sed parietum crassitudo ped. v. Postea uero (ut est rerum omnium magister usus) hominum adhibita solertia, inuentum est magno esse usui posse, si hæc esset in altitudinem turris elata. Id hac ratione perfectum est. Vbi turris altitudo perducta est ad contabulationem, eam in parietes instruxerunt, ita ut capita tignorum extrema parietum structura tegerentur, nequid emineret, ubi ignis hostium adhæresceret. Hanc insuper contignationem, quantum tectum plutei, ac uinearum passum est, laterculo astruxerunt, supraq; cum locum tigna transversa iniecerunt, non longe ab extremis parietibus, quibus suspenderent eam contignationem, quæ turri tegumento esset futura, supraq; ea tigna directo transversas trabes iniecerunt, easq; asseribus religauerunt has trabes paulo longiores atque eminentiores, quam extremi parietes erant, effecerunt: ut esset, ubi tegumenta perpendere possent, ad defendendos ictus, ac repellendos. Cum inter eam contignationem parietes extruerentur, eamq; contabulationem summam lateribus, lutoq; construxerunt, nequid ignis hostium nocere posset, centonesq; insuper iniecerunt, ne aut tela tormentis missa tabulationem perfringerent, aut saxa ex catapultis lateritium discernerent. Scorias autem ex funibus anchorarijs tres in longitudine parietum turris, latas quatuor pedes fecerunt, easq; ex tribus partibus, quæ ad hostes uergebant, eminentibus

trabi

trabibus circum turrem præpendentes religauerūt, quod unum genus tegumenti alijs locis erant experti nullo te-
lo, neq; tormento trajici posse, ubi uero ea pars turris, quæ erat perfecta, tecta, atque munita est ab omni ictu hostium, pluteos ad alia opera abduxerunt, turris tectum per seipsum prehensionibus ex contignatione prima suspendere, ac tollere cœperunt. Vbi quantum storiarum demissio patiebatur, tantum eleuabant. Intra hæc tegumenta abditi, atque muniti, parietes lateribus extruebāt: rursusq; alia prehensione ad ædificandum sibi locum expetiebant, ubi tempus alterius contabulationis uidebatur, tigna item ut primo tecta, extremis lateribus instruebant. Exq; ea contignatione rursus summam contabulationem, storiasq; eleuabant. Ita tutò, ac sine ullo uulnere, ac periculo sex tabulata extruxerunt: fenestrasq; quibus in locis uisum est, ad tormenta mittenda in struendo reliquerunt. Vbi ex ea turri, quæ circum essent, opera tueri se posse confisi sunt, musculum ped. lxx. longum, ex materia bipedali, quem à turri lateritia ad hostium turrem, murumq; perducerent, facere instituerunt: cuius musculi hæc erat forma: Duæ primû trabes in solo æque longe, distantes inter se pedes quatuor collocantur. Inq; eis columnellæ pedum in altitudinem v. defiguntur: hæc inter se capreolis molli fastigio coniungunt, ubi tigna, quæ musculi tegendi causa ponant, collocantur, eo super tigna bipedalia inijciunt, eaq; laminis clausq; religat, ad extremum musculi tectû, trabesq; extremas, quadratas regulas quatuor patêtes digitos defigunt, quæ lateres, qui super musculos struatur, cõtineant. Ita fastigiato,

Musculus.

atque ordinatim structo, ut trabes erant in capreolis collocatae, lateribus, lutoq; musculus, ut ab igne, qui ex muro iaceretur, tutus esset, contegitur. Super lateres Coria inducitur, ne canalibus aqua immissa lateres diluere posset. Coria autem, ne rursus igni, ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur. Hoc opus omne tectum militibus ad ipsam turrim perficiunt, subitoq; inopinantibus hostibus machinatione nauali, phalangis subiectis, ad turrim hostium admovent, ut edificio iungatur. Quo malo perterriti subito oppidani, saxa quam maxima possunt uestibus promouet, praecipitataq; muro in musculum deuoluunt. Ictum firmitas materiae sustinet, & quicquid incidit, fastigio musculi delabitur. Id ubi uident, mutant consilium. Cupas teda, ac pice refertas incendunt, easq; de muro in musculum deuoluunt. Inuolutae labuntur, delapsae ab lateribus longurijs, furcisq; ab opere remouentur. Interim sub musculo milites uestibus infima saxa turris hostium, quibus fundamenta continebantur, conuellunt. Musculus ex turri lateritia à nostris, telis, tormentisq; defenditur, hostesq; ex muro, ac turribus submoventur, non datur libera muri defendendi facultas, compluribus iam lapidibus ex ea, quae suberat turri subductis, repentina ruina pars eius turris concidit, pars reliqua consequens procumbebat. Tum hostes turris repentina ruina commoti, inopinato malo turbati, Deorum ira percussi, Urbis direptione perterriti, inermes cum infulis sese porta foras uniuersi proripiunt, ad legatos, atque exercitum supplices manus tendunt. Qua noua re oblata, omnis administratio belli consilij, militesq;

Turris Mas-
concidit.

Masiliensium
supplicatio.

militesq;

militesq; auersi à praelio, ad studium audiendi, & cognoscendi feruntur. Vbi hostes ad legatos exercitumq; peruenerunt, uniuersi se ad pedes proiciunt: Orant, ut aduentus Cæsaris expectetur, captam suam urbem uidere, opera perfecta, turrem subrutam, itaque à defensione disistere, nullam exoriri moram posse, quo minus cum uenisset, si imperata non facerent, ad nutum èuestigio diriperentur. Docent, si omnino turris concidisset, non posse milites contineri, quin spe prædæ in urbem irumperent, urbemq; delerent. Hæc, atque eiusdem generis complura, ut ab hominibus doctis, magna cum misericordia, fletuq; pronuntiantur. Quibus rebus commoti legati, milites ex opere deducunt, oppugnatione desistunt, operibus custodias relinquunt. Induciarum Induciae, quodam genere misericordia facta, aduentus Cæsaris expectatur, nullum ex muro, nullum à nostris mittitur telum, ut re confecta, omnes curam, & diligentiam remittunt. Cæsar enim per literas Trebonio magnopere mandauerat, ne per uim oppidum expugnari pateretur, ne grauius permoti milites, & defectionis odio, & contempnitione sui, & diutino labore omnes puberes interficerent, quod se facturos minabantur, ægreq; tunc sunt reuerti, quin oppidum irumperent: grauiusq; eam reuerti pertulerunt: quod stetisse per Trebonium, quominus oppido potirentur, uidebatur. At hostes sine fide tempus, atq; occasionem fraudis, ac doli quærunt. Interiectis aliquot diebus, nostris languentibus, atq; animo remissis, subito meridiano tempore, cum alius discessisset, alius ex diutino labore in ipsis operibus quieti se dedisset, arma uero omnia

Ignis operibus
infertur.

omnia reposita, contactaq; essent, portis se foras erumpunt, secundo, magnoq; uento ignem operibus inferunt. Hunc sic distulit uentus, uti uno tempore agger, plutei, testudo, turris, tormenta; flammam cōciperent, & prius hæc omnia consumerentur, quàm, quemadmodum accidisset, animaduerti posset. Nostri repentina fortuna permoti, arma, quæ possunt, arripiunt. Alij ex casiris sese incitant: fit in hostes impetus eorum: sed muro, sagittis, tormentisq; fugientes persequi prohibentur. Illi sub murum se recipiunt, ibiq; musculum, turrinq; lateritiam libere incendunt: ita multorum mensium labor hostium perfidia, & ui tempestatis puncto temporis interijt. Tentauerunt hoc idem Masilienses postero die, eandem noctem tempestatem, maiori cum fiducia ad alteram turrem, aggeremq; eruptione pugnaverunt, multumq; igne intulerunt. Sed, ut superioris temporis contentionem nostri omnem remiserant, ita proximi diei casu admoniti, omnia ad defensionem parauerant. Itaq; multis interfectis, reliquos infecta re in oppidum repulerunt. Trebonius ea quæ sunt amissa multo maiore studio militum administrare, & reficere instituit. Nam ubi tantos suos labores, & apparatus male cecidisse uiderunt, inducijsq; per scelus uiolatis, suam uirtutem irrifui fore perdolebant, quòd unde agger omnino comportari posset, nihil erat reliquum, omnibus arboribus longe, lateq; in finibus Masiliensium excisis, & coniectis: aggerem noui generis, atque inauditum ex lateritijs duobus muris, seu num pedum crassitudine, atq; eorum murorum cōtignationem facere instituerunt, æqua ferè latitudine, atq; ille congeries

Roger ex lateri
aijs muris confectus.

congeries

congestus ex materia fuerat agger. Vbi autē spatium inter muros, aut imbecillitas materie postulare uideretur, pile interponuntur, transuersaria tigna iniiciuntur, quæ firmamento esse possint. Et quicquid est contignatum, cratibus consternitur, cratesq; luto integuntur. Sub tecto miles dextera, ac sinistra muro tectus, aduersus plutei obiectu, operi quæcumq; usui sunt, sine periculo supportat: celeriter res administratur, diuturni laboris detrimentum solertia, & uirtute militum breui reconcinnatur. Portæ, quibus locis uidetur, eruptionis causa in muro relinquuntur. Quod ubi hostes uiderunt ea, quæ diu, longoq; spatium refici non posse sperassent, paucorum dierum opera, & labore ita resecta, ut nullius perfidie, neq; eruptioni locus esset, neq; quicquam omnino relinquerunt, quo aut ui militibus, aut igni operibus noceri posset, eodemq; exemplo sentiunt totam urbem, qua sit aditus ab terra, muro, turribusq; circumiri posse, sic, ut ipsis consistendi in suis munitionibus locus non esset, cum penè ædificata in muris ab exercitu nostro mœnia uiderentur, ac tela manu conijcerentur, suorumq; tormentorum usum, quibus ipsi magna sperauissent, spatium propinquitatis interire, pariq; conditione è muro, ac turribus bellandi data, uirtute se nostris adæquare nō posse intelligunt, ad easdē deditionis conditiones recurrunt. M. Varro in ulteriore Hispania initio cognitis his rebus, quæ sunt in Italia gestæ, diffidens Pompeianis rebus, amicissime de Cesare loquebatur, præoccupatū sese legatione, ab Cn. Pompeio teneri obstrictum fide, necessitudinem quidem sibi nihilo minorem cum Cesare intercedere, neque se ignorare

M. Varronis in
ulteriori Hispania
gesta.

ignorare quod esset officium legati, qui fiduciarum operam obtineret, quæ vires suæ, quæ uoluntas erga Cæsarem totius Prouinciæ. Hæc omnibus referebat sermonibus, neque se in ullam partem mouebat. Postea uero, cum Cæsarem ad Masilian detineri cognouit, copias Petri cum exercitu Afranij esse coniunctas, magna auxilia conuenisse, magna esse in spe, atq; expectatione, et consentire omnem citeriorem prouinciam, quæq; postea acciderant, de angustijs ad Ilerdam rei frumentariæ accepit, atq; hæc ad eum latius, atque inflatius Afranius perscribebat, se quoque ad motum fortunæ mouere cœpit, delictum habuit tota Prouincia: legionibus completis duabus, cohortes circiter triginta alarias addidit, frumenti magnum numerum coëgit, quod Masiliensibus, item quod Afranio, Petreioq; mitteret, naues longas x. Gaditanis ut facerent, imperauit. Complures præterea in Hispali faciendas curauit, pecuniam omnem, omniq; ornamenta ex fano Herculis, in oppidum Gades contulit. Eo sex cohortes præsidij causa ex prouincia misit: Caiumq; Gallonium equitem Romanum, familiarem Domitij, qui eo procurandæ hereditatis causa uenerat missus à Domitio, oppido Gadibus præfecit: arma omnia priuata, et publica in domum Gallonij contulit. Ipse habuit graues in Cæsarem conciones. Sæpe ex tribunali prædicauit aduersa Cæsarem prælia fecisse, magnum numerum ab eo militum ad Afranium perfugisse, hæc se certis nuntijs, certis autoribus comperisse. Quibus rebus perterritis ciuibus Romanis eius Prouinciæ, sibi ad remp. adiuuandam HS. CXC. millia, et argenti pondo xx. millia, tritici

Hispalis.

Gades.
Caius Gallonium,

tritici modios cxxx. millia polliceri cogit. Quas Cæsari esse amicas ciuitates arbitratur, ijs grauiora onera iniungebat, qui uerba, atque orationem aduersus remp. habuissent, eorum bona in publicum addicebat, præsidiaq; eò deducebat, & iudicia in priuatos reddebat: Prouinciam omnem in sua, & Pompeij uerba per iusurandum adigebant. Cognitis his rebus, quæ sunt gestæ in citeriore Hispania, parabat bellum. Ratio autem hæc erat belli, ut secum duas legiones Gadis conferret, naues, frumentumq; omne ibi contineret, prouinciam enim omnem Cæsaris rebus fauere cognouerat. In Insula frumento, nauibusq; comparatis bellum duci non difficile existimabat. Cæsar, etsi multis necessarijsq; rebus in Italiam reuocabatur, tamen constituerat nullam partem belli in Hispanijs relinquere, quod magna esse Pompeij benescia, & magnas clientelas in citeriore Prouincia sciebat. Itaq; duabus legionibus missis in ulteriorem Hispaniam cum Qu. Cassio Tr. Pl. ipse cum equitibus sexcentis magnis itineribus progreditur, edictumq; præmittit, ad quam diem magistratus, principesq; omnium ciuitatum sibi esse præsto Cordubæ uellet. Quo edicto tota Prouincia peruulgato, nulla fuit ciuitas, quin ad id tempus partem Senatus Cordubam mitteret: Non ciuis Romanus paulo notior, quin ad diem conueniret. Simul ipse Cordubæ conuentus per se portas Varroni clausit, custodias, uigiliasq; in muro, turribusq; disposuit. Cohortes duas quæ Colonice appellabantur, cum eò casu uenissent, tuendi oppidi causa, apud se retinuit. Iisdem diebus Carmonenses, quæ est longe firmissima totius Prouinciæ ciuitas,

*als, promulgato.

Conuentus Cordubæ Varronē excludit.

Carmonenses.

Gaditani à Var-
rone deficiunt.

Varronis dedi-
tio.

ciuitas, deductis tribus in arcem oppidi cohortibus à Var-
rone præsidio, per se cohortes eiecit, portasq; præclusit.
Hoc uero magis properare Varro, ut cum legionibus
quàm primum Gadis contenderet, ne itinere, aut tractu
intercluderetur, tanta ac tam secunda in Cæsarem uolun-
tas prouinciæ reperiēbatur. Progresso ei paulo longius,
literæ à Gadibus redduntur, simul atq; cognitum sit de
edicto Cæsaris consensisse Gaditanos principes cum Tri-
bunis cohortium, quæ essent ibi in præsidio, ut Galloniū
ex oppido expellerent, Urbem, insulamq; Cæsari serua-
rent. Hoc inito consilio, denuntiāuisse Gallonio, ut sua
sponte, dum sine periculo liceret, excederet Gadibus: si
id non fecisset, sibi consilium capturos. Hoc timore addu-
ctum Gallonium Gadibus excessisse. His cognitis rebus,
altera ex duabus legionibus, quæ Vernacula appellaba-
tur, ex castris Varronis astante, & inspectante ipso, si-
gna sustulit, seseq; Hispali recepit, atq; in foro, & porti-
cibus sine maleficio consedit: quod factum adeo eius con-
uentus ciues Romani comprobauerunt, ut domum ad se
quisq; hospitio cupidissime reciperet. Quibus rebus per-
territus Varro, cum itinere conuerso sese in Italiam uen-
tuum promississet, certior à suis factus est, præclusas esse
portas, tum uero omni interclusus itinere ad Cæsare mit-
tit, paratum se esse legionē, cui iusserit, tradere. Ille ad eū
Sex. Cæsare mittit, atq; huic tradi iubet. Tradita legione,
Varro Cordubā ad Cæsarem uenit, relatis ad eum publi-
cis rationibus: cū fide, quod penes eum est pecunie tra-
dit, & quod ubique habeat frumenti, ac nauium, ostē-
dit. Cæsar habita concione Cordubæ, omnibus generatim
gratias

gratias agit. Ciuibus Romanis, quòd oppidum in sua potestate studuissent habere: Hispanis, quòd præsidia expulissent: Gaditanis, quòd conatus aduersariorum infregissent, seseq; in libertatē uindicassent: Tribunis mil. centurionibusq; qui eò præsidiij causa uenerant, quòd eorum consilia sua uirtute confirmassent. Pecunias, quas erāt in publicum Varroni Ciues Rom. polliciti, remittit. Bona restituit ijs, quos liberius locutos, hanc poenam tulisse cognouerat, tributis quibsdā publicis, priuatisq; premijs, reliquos in posterum bona spe complet: biduumq; Cordubæ commoratus, Gades profisciscitur: pecunias, monumentaq; quæ ex Phano Herculis collata erant in priuatam domum, referri in templum iubet. Prouinciæ Q. Cæsium præficit, huic quatuor legiones attribuit: ipse his nauibus, quas M. Varro, quasq; Gaditani iussu Varro nis fecerant, Tarraconem paucis diebus peruenit: ibi totius ferè citerioris Prouinciæ legationes Cæsaris aduentum expectabant. Eadē ratione priuatim, ac publice quibusdam ciuitatibus habitis honoribus, Tarracone discedit, pedibusq; Narbonam, atque inde Masilian peruenit, ibi legem de Dictatore latam, seseq; Dictatorem dictum à M. Lepido prætore cognoscit. Masilienses omnibus defesi malis, rei frumentariæ ad summam inopiā adducti, bis prælio nauali superati, crebris eruptionibus fusi, graui etiam pestilentia conflictati, ex diutina conclusionē, & mutatione uictus (panico enim uetere, atq; hordeo corrupto omnes alebantur, quod ad huiusmodi casus antiquitus paratum in publicum contulerāt) deiecta turri, labefacta magna parte muri, auxilijs prouinciarum,

Elargitio Cæsaris.

Q. Cæsius.

Tarraco.

Narbo.

Cæsar dictator dictus.

Masilienses.

Domitij fuga.

Masiliensium
deditio.C. Curio i Afri-
cam nauigat.Aquilaria.
Clupea.

P. Aëtius.

et exercituum desperatis, quos in Caesaris potestate ne-
nisse cognouerāt, sese dedere sine fraude cōstituerunt. Sed
paucis ante diebus L. Domitius cognita Masiliensium
uoluntate, nauibus tribus comparatis, ex quibus duas fi-
miliaribus suis attribuerat, unā ipse conscenderat, nauius
turbidam tempestatem, est profectus: hunc conspicatæ na-
ues, quæ missu Bruti consuetudine quotidiana ad portum
excubabant, sublatis anchoris sequi cœperunt. Ex ijs
unum ipsius nauigium contendit, et fugere perseuera-
uit, auxilioq; tempestatis ex conspectu abiit, duo perter-
rita concursu nostrarum nauium, sese in portum recepe-
runt. Masilienses arma, tormentaq; ex oppido, ut est im-
peratum, proferunt. Naues ex portu, naualibusq; edu-
cunt: pecuniam ex publico tradunt. Quibus rebus confec-
tis, Caesar magis eos pro nomine, et uetustate, quam
pro meritis in se ciuitatis, conseruans, duas ibi legiones
præsidio relinquit. Ceteras in Italiam mittit: ipse ad
urbem proficiscitur. Iisdem temporibus C. Curio in
Africam profectus ex Sicilia, etiā ab initio copias P. Aëtij
Varri despiciens, duas legiones ex quatuor, quas à Ca-
sare acceperat, et quingentos equites transportabat, bi-
duoq; et noctibus tribus nauigatione consumptis, appu-
lit ad eum locum, qui appellatur Aquilaria. Hic locus
abest à Clupeis passuum uigintiduo millia, habetq; non
incommodam æstate stationem, et duobus eminentibus
Promontorijs continetur. Huius aduētum L. Caesar filius
cum decem longis nauibus ad Clupeam præstolans, quas
naues Vtica ex prædonum bello subductas P. Aëtius re-
ficiendas huius belli causa curauerat, ueritusq; nauium
multitu

multitudinem ex alto refugerat, appulsaq; ad proximum litus trireme constrata, & in littore relicta, pedibus Adrumetum profugerat. Id oppidum C. confidius Longus unius legionis praesidio tuebatur. Reliquae Caesaris naues eius fuga Adrumetum se receperunt. Hunc secutus M. Rufus quaestor nauibus duodecim, quas praesidio onerarijs nauibus Curio ex Sicilia eduxerat: postquam relictam in littore nauem conspexit, hanc remulco abstraxit, ipse Ad Curionem cum classe redit. Curio Martium Vticam nauibus praemittit, ipse eodem cum exercitu proficiscitur, biduiq; iter progressus, ad flumen Bagradam peruenit, C. Caninium Rebillum legatum cum legionibus reliquit, ipse cum equitatu antecedit, ad castra exploranda Cornelianana, quod is locus peridoncus castris habebatur. Id autem est iugum directum, emittens in mare, utraq; ex parte praeruptum, atque asperum, sed paulo tamen leniore fastigio ab ea parte, quae ad Vticam uergit: abest directo itinere ab Vtica paulo amplius passus mille: sed hoc itinere est fons, quo mare succedit longius, lateq; is locus restagnat, quem si quis uitare uoluerit, sex millium circuitu in oppidum perueniet. Hoc explorato loco, Curio castra Varri conspexit, muro oppidoq; coniuncta ad portam, quae appellatur Bellica, admodum munita natura loci, una ex parte ipso oppido Vtica, altera Theatro, quod est ante oppidum substructionibus eius operis maximis aditu ad castra difficili, & angusto: simul animaduertit multa undiq; portari, atque agi plenissimis uijs, quae repentini tumultus timore ex agris in Urbem conserantur: huc equitatum

Adrumetum.
C. Confidius
Longus.

M. Rufus.

Vtica.

Bagrada fl.

Castra Cornelianana.

Actij Varri castra.

11 2 mittit,

Iuba rex,

Curio imperator appellatur.

mittit, ut diriperet, atq; haberet loco prædæ: eodemq; tempore his rebus subsidio sexcenti equites Numidæ ex oppido, peditesq; cccc, mittuntur à Varro, quos auxilij causa rex Iuba paucis diebus ante Vticam miserat. Huic & paternum hospitium cum Pompeio, & simulis cum Curione intercedebat: quòd Tribunus Pl. legē promulgauerat, qua lege regnum Iubæ publicauerat. Concurrunt equites inter se, neq; uero primum impetum nostrorum Numidæ ferre potuerunt: sed interfectis circiter cxx. reliqui se in castra ad oppidum receperunt. Interim aduentu longarum nauium, Curio pronuntiarum onerarijs nauibus iubet, quæ stabant ad Vticam, numero circiter cc. se in hostium habiturum loco, qui non è uestigio ad castra Corneliana uela duxisset. Qua pronuntiatione facta, temporis pūcto sublatis anchoris, omnes Vticam relinquunt, & quò imperatum est, transeunt: quæ res omnium rerum copia compleuit exercitum. His rebus gestis, Curio se in castra ad Bagradam recepit, atq; uniuersi exercitus conclamatione imperator appellatur. Postero die Vticam exercitum ducit, & propè oppidum castra ponit. Nondum opere castrorum perfectò, equites ex statione nuntiāt, magna auxilia equitū, peditumq; ab rege missa, Vticam uenire, eodemq; tempore uis magnæ pulueris cernebatur, & uestigio temporis primū agmen erat in conspectu. Nouitate rei Curio permotus, præmittit equites, qui primum impetum sustineant, ac moventur. Ipse celeriter ab opere deductis legionibus, acie instruit, equitesq; committunt prælium: & prius quam planè legiones explicari, & cōsistere possent, tota auxilia Regis impedit,

impedit,

impedita, ac perturbata, quod nullo ordine, & sine timore iter fecerant, in fugam se coniiciunt, equitatuq; omni fore incolumi, quod se per litora celeriter in oppidum recepit, magnum peditum numerum interficiunt. Proxima nocte Centuriones Marsi duo ex castris Curionis, cum manipularibus suis uigintiduo ad Accium Varrum persequuntur. Ii seu uere quam habuerant opinionem perferunt, siue etiam auribus Varri seruiunt. Nam que uolumus, & credimus libenter: & quæ sentimus ipsi, reliquos sentire speramus. Confirmant quidem certe totius exercitus animos alienos esse à Curione, maximeq; opus esse in conspectu exercitum uenire, & colloquendi dare facultatē. Qua opinione adductus Varrus, postero die mane legiones ex castris educit: facit idem Curio, atq; una ualle non magna interiecta, suas uterq; copias instruit. Erat in exercitu Varri Sex. Quintilius Varrus, quæ fuisse Corfini supra demonstratum est. Hic dimissus à Cæsare, in Africam uenerat, legionesq; eas traduxerat Curio, quas superioribus temporibus Corfinio receperat Cæsar, adeo ut paucis mutatis Centurionibus, iisdem ordinibus, manipuliq; constarent. Hanc nactus appellationis causam Quintilius circumire aciem Curionis, atq; obsecrare milites coepit, ne primam sacramenti, quod apud Domitium, atq; apud se quaestorem dixissent, memoriam deponerent, neu contra eos arma ferrent, qui eadem essent usi fortuna, eademq; in obsidione perperissi: neu pro his pugnarent, à quibus in contumeliam perfugæ appellarentur. His pauca ad spem largitionis addit, quæ ab sua liberalitate, si se, atq; Accium secuti essent, expectare deberent. Hac habita oratione,

Sex Quintilius
Varrus.

Timor in ca-
stris Curtionis.

De summa rei
concilium.

nullam in partem ab exercitu Curionis fit significatio, atq; ita suas uterq; copias reducit, atque in castris Curtionis magnus omnium incescit timor. Nam is uarijs hominum sermonibus celeriter augetur: unusquisq; enim opinioniones fingeat, & ad id, quod ab alio audierat, sui aliquid timoris addebat. Hoc ubi uno autore ad plures permanauerat, atque alius alij tradiderat, plures autores eius rei uidebantur: ciuile bellum, genus hominum quod liceret libere facere, & sequi quod uellent, legiones hæ, quæ paulo ante apud aduersarios fuerant (nam etiam Caesaris beneficium mutauerat consuetudo) quæ offerrentur, municipia etiam diuersis partibus coniuncta. Neq; enim ex Marsis, Pelignisq; ueniebant, ut qui superiore nocte in contubernijs, commilitesq; nonnulli grauiores sermones militum uulgo durius accipiebant: nonnulla etiam ab ijs qui diligentiores uideri uolebant, fingeantur. Quibus de causis concilio conuocato, de summa rerum deliberare incipit. Erant sententiæ, quæ conandum omnibus modis, castraq; Varri oppugnanda censerent, quod huiusmodi militum consilijs ocium maxime contrarium esse arbitrarentur. Postremo præstare dicebant per uirtutem in pugna belli fortunam experiri, quam desertos & circumuentos à suis, grauißimum supplicium pati. Porro erant, qui censeret de tertia uigilia, in castra Corneliã recedendum, ut maiore spatio temporis interiecto, militum mentes sanaretur, simul siquid grauius accidisset, magnâ multitudine nauium, & tutius, & facilius in Siciliam receptus daretur. Curio utrûq; improbens consiliũ, quantum alteri sententiæ deesset animi, tantum alteri superesse dicebat.

dicebat: hos turpissimæ fugæ rationem habere, illos etiam iniquo loco dimicandum putare. Qua enim inquit fiducia, & opere, & natura loci munitissima castra expugnari posse confidimus, aut uero quid proficimus, si accepto magno detrimento, ab oppugnatione castrorum discedimus: Quasi nō & felicitas rerum gestarū exercitus beneuolentiam imperatoribus, & res aduersæ odia cōcilent. Castrorum autē mutatio, quid habet nisi turpem fugam, & desperationem omnium, & alienationem exercitus? Nam neq; prudentes suspicari oportet, sibi parū credi, neq; improbos, scire sese timeri, quod illis licentiā timor augeat nostris studia diminuatur. Quōd si iam, inquit, hæc explorata habemus, quæ de exercitus alienatione dicuntur, quæ quidem ego aut omnino falsa, aut certe minora opinionione esse confido, quāto hæc dissimulare, & occultare, quā per nos confirmari præstat? An non uti corporis uulnera, ita exercitus incommoda sunt tegenda? ne spem aduersarijs augeamus? At etiā, ut media nocte proficiscamur, addunt, quō maiorem credo licentiam habeant, qui peccare conentur. Namq; huiusmodi res aut pudore, aut metu tenentur: quibus rebus nox maxime aduersaria est. Quare neq; tāti sum animi, ut sine spe castra oppugnanda cēseam, neq; tanti timoris, ut ipse deficiam, atq; omnia prius experiēda arbitror, magna; ex parte iam me unā nobiscum de re iudiciū facturū confido. Dimisso cōcilio, Curionis ad milites concio.

Curionis ad milites concio.

neq;

neq; sine causa & Caesar amicissime de uobis, & illi gra-
uissime iudicauerunt. Pompeius enim nullo praelio pulsus
uestri facti prauidicio demotus, Italia excessit. Caesar me,
quem sibi carissimum habuit, prouinciamq; Siciliam, atq;
Africam, sine quibus urbem, atq; Italiam tueri non po-
test, uestrae fidei commisit. Adsunt qui uos hortentur, ut
nobis desciscatis. Quid enim est illis optatius, quam uo-
tempore & nos circumuenire, & uos nefario scelere ob-
stringere? Aut quid irati grauius de uobis sentire pos-
sunt, quam ut eos prodatis, qui se uobis omnia debere iu-
dicant? Et in eorum potestatem ueniat, qui se per uos
perisse existimant? An uero in Hispania res gestas Caesaris
non audistis? duos pulsos exercitus? duos superatos Du-
ces? duas receptas Prouincias? Haec acta diebus x l. qui-
bus in conspectum aduersariorum uenerit Caesar. An qui
incolumes resistere non potuerunt, periti resistent? Vos
autem incerta uictoria Caesarem secuti, dijudicata iam bel-
li fortuna, uictum sequamini? cum uestri officij premia
percipere debeatis. Desertos enim se, ac proditos a uobis
dicunt, & prioris sacramenti mentionem faciunt. Vos ne
uero L. Domitium, an uos L. Domitius deseruit? non ne
extremam pati fortunam paratos proiecit ille? non sibi
clam uobis salutem fuga petiuit? non proditi, per illum
Caesaris beneficio estis conseruati? Sacramento quidē uos
tenere qui potuit? cū proiectis fascibus, & deposito im-
perio priuatus, & captus ipse, in alienā uenisset potesta-
tem? Relinquitur noua religio, ut eo neglecto sacramento,
quo nūc tenemini, respiciatis illud, quod deditioe Ducis,
& capitis diminutione sublatū est. At credo, si Caesarem
probatū,

probat, iam me offenditis, qui de meis in uos meritis praedicaturus non sum, quae sunt adhuc et mea uoluntate, et uestra expectatione leuiora. Sed tamen sui laboris milites semper euentu belli, praemia petiuerunt: qui, qualis sit futurus, ne uos quidem dubitatis. Diligentiam quidem nostram, aut quem ad finem adhuc res processit, fortunamque cur praeteream? An poenitet uos, quod saluum, atque incolumem exercitum, nulla omnino naue desiderata traduxerim? quod classem hostium primo impetu adueniens profugauerim? quod bis per biduum equestri praelio superauerim? quod ex portu, sinuque aduersariorum ceteras naues onerarias adduxerim? Eoque illos compulerim, ut neque pedestri itinere, neque nauibus commeatu iuuari possint? Hac uos fortuna, atque his Ducibus repudiatis, Corfiniensem ignominiam, an Italiae fugam, an Hispaniarum dedicationem, an Africi belli praeuicia sequimini? Equidem me Caesaris militem dici uolui: uos me imperatoris nomine appellauistis: cuius si uos poenitet, uestrum uobis beneficium remitto, mihi meum restituite nomen, ne ad cotumeliam honorem dedisse uideamini. Qua oratione permoti milites, crebro etiam dicentem interpellabant, ut magno cum dolore infidelitatis suspicionem sustinere uideretur. Discendentem uero ex concione, uniuerfi cohortantur, magno sit animo, neu dubitet praelium committere, et suam fidem, uirtutemque experiri. Quo facto commutata omnium uoluntate, et opinione, consensu suo constituit Curio, cum primum sit data potestas praelio rem committere. Postero die productos loco eodem, quo superioribus diebus confluerat, in acie collocat, Ne Varrus quidem Accius du-

Prelum inter
Accium Varri
& Curionem.

bitat copias producere, siue sollicitandi milites, siue aequo loco dimicandi detur occasio, ne facultatem praetermittat. Erat uallis inter duas acies, ut supra demonstratum est, non ita magno, aut difficili, & arduo ascensu. Hanc utrumque si aduersariorum copiae transire conarentur, expeditur, quo aequiore loco praelium committeretur: simul à sinistro cornu P. Accij, equitatus omnis, & una leuis armatura interiecti complures, cum se in uallem dimitterent, cernebantur. Ad eos Curio equitatum, & duas Marcianorum cohortes mittit, quorum primum impetum equites hostium non tulerunt, sed amissis equis, ad suos refugerunt: relictis ab ijs, qui una procurrerant leuis armature, circumueniebantur, atque interficiebantur ab nostris. Huc tota Varri conuersa acies, suos fugere, & concidi uidebat. Tum Reblius legatus Caesaris, quem Curio secum ex Sicilia duxerat, quod magnum habere usum in re militari sciebat, perterritum, inquit, hostem uides Curio, quid dubitas uti temporis opportunitate? Ille unum elocutus, ut memoria tenerent milites ea, quae pridie sibi confirmassent, sequi sese iubet, & praecurrit ante omnes, adeoque erat impedita uallis, ut in ascensu nisi subleuati à suis, primi non facile eniterentur. Sed praecurris occupatis animis Accianorum militum timore, & fuga, & caede suorum, nihil de resistendo cogitabant, omnesque iam se ab equitatu circumueniri arbitrabantur. Itaque prius, quam telum abijci posset, aut nostri propius accederent, omnis Varri acies terga uertit, sequi in castra recepit. Qua in fuga Fabius Pelignus quidam ex infimis ordinibus de exercitu Curionis primum agmen fugen

Varri fuga.
Fabij, Peligni fa-
cinus.

fugientium consecutus, magna uoce Varrum nomine appellans requirebat, uti unus esse ex eius militibus, & monere aliquid uelle, ac dicere uideretur: Vbi ille saepius appellatur, affexit, ac restitit, & quis esset, aut quid uellet, quaesivit. Humerum apertum gladio appetit, paulumq; absuit, quin Varrum interficeret: quod ille periculum, sublato ad eius conatum scuto uitauit. Fabius a proximis militibus circumuentus, interficitur, ac fugientium multitudine, ac turba portae castrorum occupantur, atque iter impeditur, pluresq; in eo loco sine uulnere, quam in praelio, aut fuga intereunt. Neque multum absuit, quin etiam castris expellerentur: ac nonnulli protinus eodem cursu in oppidum contenderunt. Sed cum loci natura, & munitio castrorum aditum prohibebat, tum quod ad praelium egressi Curionis milites, his rebus indigebant, quae ad oppugnationem castrorum erant usui. Itaque Curio exercitum in castra reducit, suis omnibus praeter Fabium incolumibus. Ex numero aduersariorum circiter sexcentis interfectis, atque uulneratis, qui omnes discessu Curionis, multiq; praeterea per simulationem uulnere ex castris in oppidum propter timorem sese recipiunt. Quare animaduersa Varrus, & terrore exercitus cognito buccinato in castris, & paucis ad speciem tabernaculis relictis, de tertia uigilia silentio exercitum in oppidum reducit. Postero die Curio Vticam obsidere, & uallo circummunire instituit. Erat in oppido multitudo insolens belli, diuturnitate oculi. Vticens pro quibusdam Caesaris in se beneficijs illi amicissimi conuentus, qui ex uarijs generibus constarent, terror ex superioribus praelijs magnus.

Regis Iubæ co
piæ.

magnus. Itaque de deditione omnes palam loquebantur. Et cum P. Accio agebant, ne sua pertinacia omnium fortunas perturbari uellet. Hæc cum agerentur, nuntij præmissi ab Rege Iuba uenerunt, qui illum cum magnis copijs adesse dicerent, & de custodia, ac defensione urbis hortarentur. Quæ res eorum perterritos animos confirmauit. Nunciabantur hæc eadem Curioni, sed aliquandiu fides fieri non poterat: tantam habebat suarum rerum fiducia. Iamq; Cæsaris in Hispania res secundæ in Africam nuntijs, ac literis perferebant. Quibus omnibus rebus sublatus, nihil contra se Regem ausurum existimabat. Sed ubi certis autoribus comperit minus V. & xx. milibus longe ab Vtica eius copias abesse, relictis munitionibus, sese in castra Corneliana recepit. Huc frumentum comportare, castra munire, materiâ conferre cœpit. Statimq; in Siciliam misit, uti duæ legiones, reliquusq; equitatus ad se mitteretur. Castra erant ad bellum ducendum aptissima, natura, & loci munitione, & maris propinquitate, & aqua, & salis copia, cuius magna uis iam ex proximis erat salinis eò congesta, non materia multitudine arborum, non frumentum, cuius erant plenissimi agri, deficere poterat. Itaque suorum omnium consensu Curio reliquas copias expectare, & bellum ducere parabat. His constitutis rebus, probatisq; consilijs, ex perfugis quibusdam oppidanis audit Iubam reuocatum finitimo bello, & controuersijs Leptitanorum restitisse in regno. Saburam eius præfectum cum mediocribus copijs missum, Vticæ appropinquare. His autoribus temerè credens, cõsiliū commutat, & prælio rem committere restituit. Multum ad hanc

Sabura.

ad hanc

ad hanc rem probandan adiuuat adolescentia, magnitudo animi, superioris temporis proventus, fiducia rei bene gerendæ. His rebus impulsus equitatum omnem prima nocte ad castra hostium mittit ad flumen Bagradam, quibus præerat Sabura, de quo ante erat auditum. Sed rex cum omnibus copijs insequabatur, & sex millium passuum intervallo à Sabura confederat. Equites missi nocte iter faciunt: imprudentes, atque inopinantes hostes aggrediuntur. Numidæ enim quadam Barbara consuetudine nullis ordinibus passim confederant. Hos oppressos somno, & dispersos adorti, magnum eorum numerum interficiunt, multi perterriti profugiant. Quo facto ad Curionem equites reuertuntur, captiuosque ad eum reducant. Curio cum omnibus copijs quarta uigilia exierat, cohortibus quinque castris præsidio relictis, gressibus millia passuum sex, equites conuenit, rem gestam cognouit: ex captiuis quærit, quis castris ad Bagradam præsit, respondent Saburam: reliqua studio itineris conficiendi querere prætermittit, proximamque respiciens signa. Videtis ne inquit milites captiuorum orationem cum perfugis conuenire, abesse regem, exiguas esse copias missas, quæ paucis equitibus parum esse non potuerunt? Proinde ad prædam, ad gloriam properate, ut iam de præmijs uestris, & de referenda gratia cogitare incipiamus. Erant per se magna, quæ gesserant equites, præsertim cum eorum exiguus numerus, cum tanta multitudine Numidarum conferretur. Hæc tamē ab ipsis inflatus commemorabantur: Ut de suis homines laudibus libenter prædicant. Multa præterea spolia præferantur: capti homines, equitesque producebantur: ut quicquid

quid intercederet temporis, hoc omne, uictoriam morari uideretur. Ita spei Curionis militum studia non deerant, equites sequi iubet sese, iterque accelerat, ut quammaxime ex fuga perterritos adoriri posset. At illi itinere totius noctis confecto, subsequi non poterant. Atque alij alio loco resistebant. Ne hæc quidem res Curionem ad spem morabatur. Iuba certior factus à Sabura de nocturno prælio, duo millia Hispanorum, et Gallorum equitum, quos suæ custodiæ causa circum se habere consueuerat, et peditum eam partem, cui maxime confidebat Saburæ submittit, ipse cum reliquis copijs, elephantisque x l. lentius subsequitur, suspicatus præmissis equitibus ipsum affore Curionem. Sabura copias equitum, peditumque instruit, atque his imperat, ut simulatione timoris paulatim cedant, ac pedem referant, sese cum opus esset, signum prælij daturum, et quod rem postulare cognouisset, imperaturum. Curio ad superiorem spem addita præsentis temporis opinione, hostes fugere arbitratus, copias ex locis superioribus in campum deducit, quibus ex locis cum longius esset progressus, confecto iam labore exercitu xvi. millium spatio, consistit. Dat signum suis Sabura, aciem constituit, et circuire ordines, atque hortari incipit, sed peditatu duntaxat procul ad speciem utitur. Equites in aciem mittit. Non deest negotio Curio suosque hortatur, ut spem omnem in uirtute reponant, nec militibus quidem, ut desessis, neque equitibus, ut paucis, et labore confectis, studium ad pugnandum, uirtusque deerat. Sed ij numero ducenti (reliqui in itinere substituerant) quancunque in partem impetum fecerant,

Curionis & Saburæ prælium.

cerant, hostes loco cedere cogeant. Sed neque longius fugientes prosequi, nec uehementius equos incitare poterant. At equitatus hostium ab utroque cornu circuire aciem nostram, & auersos proterere incipit. Cum cohortes ex acie procurrissent, Numidae integri celeritate impetum nostrorum effugiebant, rursusque ad ordines suos se recipientes, circumibant, & ab acie excludebant. Sic neque in loco manere, ordinesque seruare, neque procurrere, & casum subire, tutum uidebatur. Hostium copiae, summissis ab Rege auxilijs, crebro augebantur: nostros uires lassitudine deficiebant: simul ij, qui uulnera acceperant, neque acie excedere, neque in locum tutum referri poterant, quod tota acies equitatu hostium circumdata tenebatur. Hi de sua salute desperantes, ut extremo uitae tempore homines facere consuerunt, aut suam mortem miserabantur, aut parenteis suos commendabant, si quos ex eo periculo fortuna seruare potuisset. Plena erant omnia timoris, & luctus. Curio ubi perterritis omnibus, neque cohortationes suas, neque preces audiri intelligit: unam, ut in reliquis rebus spem reliquam salutis esse arbitratus, proximos colles capere uniuersos, atque eo inferri signa iubet. Hos quoque praecipue missus a Sabura equitatus. Tum uero ad summam desperationem nostri perueniunt, & partim fugientes ab equitatu interficiuntur, partim integri procumbunt. Hortatur Curionem Cn. Domitius praefectus equitum, cum paucis equitibus circumfistens, ut fuga salutem petat, atque in castra contendant, & se ab eo non discessurum pollicetur. At Curio nunquam amisso exercitu, quem a Caesare fidei commissum acceperit, se in eius conspe-

Curionis, et suo
rum cades.

conspēctū reuerſurum confirmat: atque ita praelians in-
terſcitur: equites per pauci ex praelio ſe recipiunt. Sed ij,
quos ad nouiſſimum agmen equorum reſcicendorum cau-
ſa, ſubſtituiſſe demonſtratū eſt, fuga totius exercitus pro-
cul animaduerſa, ſeſe incolumes in caſtra conferunt, mi-
lites ad unum omnes interſciuntur. His rebus cognitis
M. Rufus Quæſtor in caſtris relictus à Curione, cohœ-
tur ſuos, ne animo deficiant: illi orant, atque obſecrant,
ut in Sicilian nauibus reportetur. Pollicetur, magiſtrisq;
imperat nauium, ut primò ueſpere omnes ſcaphas ad li-
tus appuſas habeant. Sed tantus fuit omnium terror, ut
alij adeſſe copias Iubæ dicerent, alij cum legionibus inſi-
re Varrum, iamq; ſe puluerem uenientium cernere (qua-
rum rerum nihil omnino acciderat) alij claſſem hoſtium
celeriter aduolaturam ſuſpicarentur. Itaque perterriti
omnibus, ſibi quiſque conſulebat. Qui in claſſe erāt, proſi-
ciſci properabant. Horum fuga nauium onerariarum ma-
giſtros incitabat. Pauci Lenunculi ad officium, imperiūq;
conueniebant. Sed tanta erat completis litoribus contētio,
qui potiſſimum ex magno numero conſcenderent, ut mul-
titudine, atque onere nonnulli deprimerentur: reliqui hoc
timore propius adire tardarentur. Quibus rebus accidi-
t, ut pauci milites, patresq; familiae, qui aut gratia, aut miſe-
ricordia ualerent, aut naues adnare poſſent, recepti in Si-
ciliā incolumes peruenirent, reliquæ copiae miſis ad Var-
rum noctu legatorum numero centurionibus, ſeſe ei dedi-
derunt, quorum cohortes militum Iuba poſtero die ante
oppidum conſpicatus, ſuum eſſe prædicans prædam, me-
gnam partem eorum interſci iuſſit, paucos electos in re-
gnum

gnum remisit. Cum Varrus suam fidem ab eo lēdi quere-
retur, neq; resistere auderet, ipse equo in oppidū uectus,
prosequētib; complurib; senatorib; quo in numero
erat Ser. Sulpitius, & Licinius Damasippus, paucis die-
bus, quæ fieri uellet, Vtica cōstituit, atq; imperauit, die-
busq; æque post paucis, se i regnū cū oīb; copijs recepit.

C. IULII CAESARIS

COMMENTARIORVM

DE BELLO CI-

VILI LIBER

TERTIVS.



ICTATORE Habēte comitia Cæ-
sare, consules creantur Iu. Cæsar, & P.
Seruilius. Is enim erat annus, quo per le-
ges ei consulem fieri liceret. His rebus cō-
fectis, cū fides tota Italia esset angustior,
neque creditæ pecuniæ soluerentur, constituit, ut arbitri
darentur, per eos fierent æstimationes possessionum, &
rerum, quanti quæq; earum ante bellum fuissent, atq; eæ
creditorib; traderentur. Hoc & ad timorem nouarum
tabularum tollendum, minuendumq; qui serē bella, & ci-
uileis dissensiones sequi consuevit, & ad debitorum tuen-
dam existimationem esse aptissimum existimauit. Item
prætorib; Tribunisq; pl. rogationes ad populum feren-
tib; nonnullos ambitus Pompeia lege damnatos, illis tē-
porib; quib; in Vrbem præsidia legionum Pompeius
habuerat, quæ iudicia alijs audientibus iudicib; alijs sen-
tentia

x

tentia